DE CHRISTI DOMINI ASCENSIONE ORATIO HABITA IN SACROSANCTA BASILICA...

Gregorius Sceriman, Valenti Gonzaga

Sanctissimo Dño Nostro
CLEMENTI XIII.
PONT. OPT. MAXIMO.

GREGORIUS SCERIMAN
FELICITATEM.




UM hanc Orationem tibi dicandi, consecrandique consilium cæpissem, BEATISSIME PATER, *multa continuò mihi obversari visa sunt, quæ me ab incepto discedere meritò jubere arbitrabar. Ultro enim agnoscebam me rem cæteroquin nobilissimam, ornatèque facilè dicendam eo humiliori excogitandi genere, inconcinniorique dicendi modo tractasse, quo ipse quovis in terris agente sublimori dignitatis amplitudine fulges, quove graviori rerum existimandarum polles judicio. Sed simulatque oculos, animumque retuli ad præclarum illud, quod in te nunquam deferbuit, studium, quo non modo Urbs hæc amplissima, verum*

 etiam

etiam omnis paulatim Ecclesiasticus Ordo viris & pietate clarissimis, & omni doctrinæ genere ornatissimis in diem florescit; minime pertuli me deterreri, ne quod cupidè susceperam, alacriter perficerem, optatumque ad exitum perducerem. Cum enim dilucidè viderem immortale esse, constitutosque hominum vitæ terminos longè egredi, quod pulchrè te agit adjuvandæ Reipublicæ, desiderium, non dubitavi, quin mansuetè, clementer, benignè & eum sis excepturus, quem vides contendere, ut aliquando Deo O. M. adjuvante saltem minima ex parte desiderii immortalitatem tui possit explere. Benigne igitur excipe, BEATISSIME PATER, *quam tibi offero, Orationem; ne forte me unum (quod non spero) ab illa universali, & extra fortunæ aleam ab omnibus posita spe conquerar destitutum. Diù te incolumem Reipublicæ Deus servet,* PONTIFEX OPTIME, *tuorumque seriē annorum in extensum ævum producat.*



ORA-



ORATIO.



Uamquam, Beatissime Pater nihil videtur accidere tristius Orbi Terræ potuisse, quam ut Sanctissimus ille humani Generis reparator e mortalim conspectu, quibus tanto bono præsens fuerat, ad illam Piorum Sedem, & locum tolleretur; nihil tamen æquius, ac sapientius arbitror institutum, quam quod hodierno die facimus: ut illius memoriam discessus tanta omnium ordinum gratulatione, atque his gestientis animi vocibus prosequamur. Enimvero amantissimo Parenti salutis

noſtræ eorum, a quibus peccati ſervile jugum dejecerat, jucundus erat aſpectus, at vero ille veluti e liberata Provincia in Patriam reditus multo jucundiſſimus: hominibus ejuſdem præſentia, vox, alloqutio glorioſa erat, ac ſalutaris; abſentia vero propter earum rerum, quas poſtea vidimus magnitudinem, atque præſtantiam multo, & glorioſior, & fructuoſior: ita, ut cum illìus cauſa, tum etiam noſtra hodierna luce maxime lætandum eſſe videatur.

Atque ut inde Oratio mea proficiſcatur, unde tota hæc celebritas ducta eſt, jure optimo exiſtimare mihi videor, hanc Dei hominis ad æternitatis Domicilium profectionem nobis Chriſtum diligentibus plurimum ad lætitiam valere oportere. Etſi enim ille ab ea Beatitate, quæ in amore, atque intuitu Dei O. M. poſita eſt, vacuam in vita horam, atque adeo punctum temporis non habuit, ea tamen, quæ ab externo creaturarum ſtudio, atq: obſequio proficiſcitur, nunquam tam plenè, cumulatèque illi

acceſſit, quam cum hodierno die victor in Patriam remearet. Quid enim amplius, quid illuſtrius ad omnem, ſive mortalium, ſive immortalium amorem admirationemque illi conciliandam potuit accidere, quam quod Triumphator, novo pugnandi genere, noviſque artibus univerſo Terrarum Orbe à teterrima ſervitute vindicato, infinitis exantlatis laboribus, inumeris meritis cumulatus, paria divinis virtutibus præmia referens, ſummo rerum omnium Imperio potiretur. Atque hic honor, quantus, quamque ſingularis ſit, hinc aliquomodo licet exiſtimare, quod tanta hoc ASCENSIONIS die gloria, & veluti luce Chriſtus perfuſus eſt, quantis paulo ante ignominiis, & veluti tenebris coopertus jacuerat. Jam quis eſt, qui non norit, Chriſti dolores fuiſſe maximos, ignominias ne fando quidem antea auditas, quas Pater, eum ſubire voluit, ut ereptum ſibi honorem cumulatiſſimè rependeret? Liceat mihi igitur, pro tanto, tamque eximio Servatoris Noſtri triumpho, feſtis voci-

bus

bus, & exultanti gaudio iterare. O felices Christi labores! O Cruciatus Optabiles! O mors fauste obita! Quam cito omnia ex summa contumelia in æternum, amplissimum honorem, ex maximis post natos homines doloribus in Beatissimam, modum non agnoscentem voluptatem reciderunt! Vulnera illa, queis miserum in modum corpus descissum erat, pulcherrima luce radiaverunt: jam insanis Populi clamoribus honorificentissimæ Beatorum Civium voces successerunt: Jam qui latro, qui maleficus, qui seditiosus fuit publicè compellatus, ab omni Celesti Militia præstantissimis decoratur nominibus: jam denique, qui ab indignissimis Judeis, ceu lutum fœdissimum, conculcatus fuit, ad ipsius Dei Patris consessum elevatus, omnes Cœlestium Incolarum Choros summa afficit voluptate, humanoque ore indicta complet Beatitate.

Quæ cum animo recolimus, non possumus non recordari, tot, tantosque honores Christo hac nostra humanitate

in-

induto tributos fuiſſe proindeque humanam naturam, hac lætiſſima die, eo dignitatis ſplendoriſq. deveniſſe, ut altius non natura, ſed ne gratia quidem valeat aſſurgere. O rem hominum admiratione lætitiis, prædicatione digniſſimam! Chriſtus victor, naturæ noſtræ exuviis circumdatus ſuper omnes Cœleſtium legionum, & ducum ordines ſe ſe extollit; puriſſimas illas, & ab omni corporis contagione ſecretas mentes ſupergreditur; Æterno Patri denique quam proximus aſſidet. Tollatur jam funditus, atque deleatur amiſſæ ob avitum Crimen noſtræ dignitatis memoria multo quippe plus decorìs Chriſtus communi naturæ addidit, quam ſæviſſimus hoſtis intulerit probri.

Jam vero cum Chriſtus amantiſſimus Reparator noſter, tam fauſtè, fortunateque Cœlum inierit, quid inde utilitatis in nos non redundabit? Et primũ ea vel maxima utilitas, ex Chriſti Aſcenſione in nos profecta eſt, quod nimirum Diſcipulorum, & proinde Chriſtianorum

om-

omnium fides roborata inde, atque aucta ita eorum pectoribus adhæsit, ut nulla potuerit violentia inde divelli. Erant enim Discipuli ante Domini Ascensionem, & in fide fluctuantes, & in adversis exanimes; Spes eorum languida, & charitas parum firma; Sæpe hæsitabant, metuebant sæpe, trepidis sæpe cogitationibus æstuabant. At cum insueto lumine coruscantem, ac redivivum in Cœlestem Sedem propria virtute illum assurgere conspexerunt, ita confirmati sunt, ut nihil tam durum, nihil tam immane, nihil tam terribile eis obiici potuerit, quod possit a Christi Religione obfirmatos animos quoque modo abducere. Deinde quantum in Cœlo præsidii, quantum opis, ac gratiæ comparatum hominibus esse existimabimus, cum Christus humanam præseferens vestem, Patriq: obductas nondum vulnerum cicatrices ostentans eorum se esse caput, patronumque amantissimum profitetur! Tanto subnixi Patrocinio nihil jam, quod non speremus; nihil jam, quod usquequa-

que

que pertimeſcamus. Chriſtus pro nobis intercedit; Chriſtus vindicem Patris iram a nobis deprecatur, Chriſtus tartareas vires cohibet, obtundit, propulſat; Chriſtus denique per Divini Spiritus illapſum ad ſe nos vocat amantiſſimè, ac ſi paternis obtemperemus vocibus ſuæ Gloriæ nos participes fore ultro pollicetur.



FINIS.

